C. B. D.

De

DEFINITIONE ECCLESIÆ,

Ex

VII. Augustanæ Confessionis Articulo,

In Inclyta Argentinensi Academia,

PRÆSIDE

VIRO Plurimum Reverendo,

Amplissimo atque Excellentissimo

DOMINO

BALTHASARE BEBELIO,

S. S. Theol. Doctore, & P. P. &c.

Publicè disputabit

M. PETRUS GNILIUS, Goxovilla-Argentinas.

Die 8. Febr. A. O. R. M. DC. LXXXV.

ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS WELPERI.

VIRO

Magnifico atque Strenuo

DOMINO

DOMINICO Dietrich/

Civit. Argent-Consulari, XIII-Viro, & Scholarchæ Amplissimo.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo

DOMINO

BALTHASARI FRIDERICO SALTZMANNO, S.S. Theol. Doct. & Ecclesiast. Vigilantissimo.

VIRO

Nobilissimo atque Præclarissimo

DN. JOHANNI STOESSERO,

Inclyt. Reip. Arg. Ærarii publici Quæstori meritissimo, Cognato Honoratissimo.

DNN. MOECENATIBUS, PATRONIS & PROMOTORIBUS.

Hasce paginas contestandæ gratitudinis & obsequii ergo Humillimè dedicat & consecrat

TANTORUM NOMINUM

Subjectissimus Cliens

&

Observantissimus Cultor

M. Petrus Gnilius.

Q. D. B. V.

De

Definitione Ecclesiæ,

Ex

Artic. VII. Aug. Conf.

AUguſtanæ Confeſſionis noſtræ Articulus VII. Latine in exemplari invariato ita ſonat: *Item docent, quod una ſancta Eccleſia perpetuo manſura ſit. Eſt autem Eccleſia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte adminiſtrantur Sacramenta, & ad veram unitatem Eccleſiæ ſatis eſt conſentire de doctrina Evangelii, & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt, ubique eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus aut ceremonias ab hominibus inſtitutas. Sicut inquit Paulus: una fides, unum baptiſma, unus DEUS, & Pater omnium &c.* Quæ in exemplari Germanico, Cæſari Romano prælecto, & exhibito, ita habent: Es wird auch gelehret / daß allezeit müſſe eine heilige Chriſtliche Kirche ſein und bleiben / welche die Verſamlung aller Gläubigen / bey welchen das Evangelium rein geprediget / und die heiligen Sacrament / laut deß Evangelii / gereicht werden. Dann dieſes iſt genug zu wahrer Einigkeit der Chriſtlichen Kirchen / daß da einträchtiglich / nach reinem Verſtand / das Evangelium geprediget / und die Sacrament / dem göttlichen

Wort gemäß / gereicht werden. Und ist nicht noth zu wahrer Einigkeit der Christlichen Kirchen / daß allenthalben gleichförmige Ceremonien / von den Menschen eingesetzt / gehalten werden / wie Paulus spricht / Ephes. IV. ein Leib / ein Geist / wie ihr berufften seyd / zu einerley Hoffnung ewers Berufs / ein HErr / ein Glaub / eine Tauffe.

Desumptus est Articulus hic ex septendecim aliquo, nempe XII. Lutheri; cujus hæc sunt verba: **Daß kein Zweiffel seye / es seye und bleibe auff Erden eine heilige Christliche Kirche / biß an der Welt Ende / wie Christus spricht:** Matth. ult. **Sihe / Ich bin bey euch / biß an der Welt Ende. Solche Kirche ist nichts anders / dann die Glaubigen an Christum / welche obgenandte Artickel und Stücke halten / glauben / und lehren / und darüber verfolgt und gemartert werden in der Welt. Dann wo das Evangelium geprediget wird / und die Sacrament recht gebraucht / da ist die heilige Christliche Kirche. Und sie ist nicht mit Gesetzen / und äusserlichem Pracht an statt / und Zeit / an Person und Geberde gebunden.**

Confutatores, qui vocantur A. C. in dicto illo Articulo quædam quidem desiderarunt, ut quod nostrates Ecclesiam dixerint esse *congregationem Sanctorum*; quandoquidem etiam *mali non sint ab Ecclesia separandi*; Damnarunt & hanc partem, quod nostrates dixerint, *ad veram unitatem Ecclesiæ satis esse consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum, nec necesse esse, ubique similes traditiones humanas esse, seu ritus, & ceremonias ab hominibus institutas*; Quibus ipsorum desideriis satisfecit nostra Apologia, refutatis ipsorum exceptionibus & argumentis; quam secuti sunt alii vindices Augustanæ Confessionis, ejusdemque Apologiæ. Præterea autem illi nihil in nostro hoc Articulo desiderarunt. Recentiores verò, acutius scilicet vetustioribus videntes & curiosiores, quã ipsum Concil. Trid. quod & ipsum nihil hac de re habet, (Hülf. man. p. 217.) videntur sibi in definitione illa deprehendisse patrocinium suæ causæ. Est enim quidam Thomas Henrici, (ut alios, e. g. Tanner. part. II. dem. II. § 7. num. 183. &c. nunc taceam) qui conclusionem suam: *Ecclesia Christi, ex quo per Apostolos in orbem terrarum dissemi-nata est, à visibilitate sua separari non potest*, probare voluit ex verbis

bis Confessionis Augustanæ Art. VII. *Item docent*, scribens, *quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur Sacramenta, & ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum.* Anatom. Aug. Conf. Artic. VIII. quæst. 3. p. m. 221. §. conclusio. Quod contra Evangelicorum sententiam sit, qui statuunt, Ecclesiam *non semper visibilem esse, sed tantum in florenti statu, quando illæ non premuntur nimium, nec suis pastoribus & templis spoliantur. Hoc enim si contingit, tum ex visibili statum fieri invisibilem.* Verba sunt D. Meisn. de Eccles. Sect. IV. cap. 5. p. 386. §. ulterius.

Res hæc magni momenti est; **da ligts alles an**/ ait noster Lutherus, **daß man das Weßen der Christlichen Kirchen recht wisse/ und unterscheide unter der Kirchen Nahmen/ und der Kirchen Weßen**/ &c. Tom. VII. Jen. German. in cap. XVI. Johan. fol. 180. Pluribus rem prosequitur allegatus Meisnerus, dicens: *Utrobiq;* (ex parte Pontificiorum & Protestantium) *scopus idem est, nimirum assertio & defensio propriæ Ecclesiæ. Illi urgent visibilitatem, ut hinc concludant suam Ecclesiam esse veram, & nostram esse falsam, quippe ante Lutherum inconspicuam & publico exercitio destitutam. Nos urgemus invisibilitatem, ut hinc inferamus, Ecclesiam nostram, licet ante Lutherum delituerit, propterea tamen non esse falsam; & contra Ecclesiam Papistarum, licet ante Lutherum floruerit, prepterea tamen non esse veram.* Hæc Saxonicus ille Theologus loc. cit. membr. 1. p. 352. Cum igitur operæ pretium sit in hac materia versari, id agamus. DEUS adsit!

§. I.

UT mentem Articuli nostri eo melius & accuratius explicemus opus erit aliquot *distinctionibus*, quibus definitum & definitio dilucidius explicentur. *Definitum* est *Ecclesia*, cujus vocis varias significationes & acceptiones ostenderunt Nostri B. Dn. D. Gerhard. Loc. de Eccles. cap. II. §. 8. seqq. pag. m. 366. seqq. & D. Menz. in Exeges. Aug. C. p. m. 202. §. V. Omnes illas adducere nostri instituti & scopi nunc non est; quare eas solum distinctiones dabimus, quæ ad declarationem nostri Arti-

culi conducunt. Distinguimus (1.) inter Ecclesiam *propriè & improprie* sic dictam; quam distinctionem discimus ex Apologia „ Aug. Conf. pag. 150. cum ait: Neque videmus, cum Ecclesia „ *propriè* dicta appelletur corpus Christi, quomodo aliter descri- „ benda fuerit. Statuit igitur vocem istam vel *propriè* vel *improprie* sumi. (2.) Inter vocem *largè & strictè* sic sumptam. Quæ iterum est ejusdem distinctio, desumpta ex *decretis* in quibus *glossa* dicat, *Ecclesiam* large *dictam complecti bonos & malos.* p. 146. Cum qua distinctione coincidit ista, qua vocabulum istud (3.) sumitur vel ὁλικῶς ut σύνολον ἑτερογενὲς, pro bonis & malis *simul*, vel ut ὁμογενὲς, pro *solis* piis, & electis; quam distinctionem perspicue & pluribus explicat Meisnerus, sect. III cap. 2. p. 180. §. patet. de Eccles. & probat ex ipso Gregorio de Valent. lib. VI. Analys. cap. 3. pag. 36. Hanc enim ejus regulam ponit: *Si quid interdum vel à scriptura sacra, vel à Patribus tribuitur Ecclesiæ, quod aut justis tantum aut prædestinatis tantum conveniat, id non ad Ecclesiam totam, sed per Synecdochen ad Ecclesiæ partes præstantiores referri debet.* Et ex cap. IV. pag. 37. ubi expresse idem Jesuita scribit: *Per Synecdochen Ecclesia sancta dicitur propter justos, quemadmodum nationem aliquam fortem dicere solemus, non quod omnes nationis homines fortes sint, sed quoniam aliquos gignit fortes.* Quorsum referri potest distinctio (4.) inter Ecclesiam sumptam in sensu *composito & diviso.* Illo, quatenus vocem sponsi sui audit, & sequitur, hoc, quando id non fit, imò contrarium designatur: *Nos*, ait Menzerus, *Ecclesiæ ea tribuimus encomia, eamque auctoritatem, quam scriptura commendat: Addimus autem, ea omnia Ecclesiæ competere, quamdiu & quatenus audit & sequitur vocem sui sponsi.* Exeges. Artic. VII. p. m. 198.

§. 2. (5.) *Inter Ecclesiam Vet. Test. & Nov. Test.* Ista fuit priusquam Filius DEI incarnaretur, & in cœlum sublatus ab Apostolis in universo terrarum orbe prædicaretur: Hæc vero, postquã hoc factum est. Posuimus hanc distinctionem in gratiam adversariorum, qui ita distinguere amant, ut Ecclesiæ novi testamenti lucrentur privilegium perpetuæ visibilitatis, infallibilitatis, & puritatis. Colligere hoc licet ex verbis Th. *Henrici*, quibus respondere voluit ad objectionem de apostasia Ecclesiæ visibilis

in

in Vet. Test. *tametsi*, inquiens, *tota Synagoga visibilis aliquando defeciſſet, hoc tamen ad Chriſti Eccleſiam trahendum non eſſet, quia Synagogæ tam præclaræ promiſſiones de perpetua duratione factæ non ſunt, ut Eccleſiæ Chriſti. Neque vero fieri potuerunt, quia Synagoga ex decreto DEI duratura non fuit, ſed Eccleſiæ ceſſura, tanquam umbra corpori, & ancilla ſponſæ liberæ, Chriſto perpetuo fœdere conjungendæ, ut docet Apoſtolus, Gal. IV.* Anat. A. C. Artic. VII. quæſt. 3. pag. 226. §. reſpondeo. In quibus verbis diſtinctio Eccleſiæ ratione *teſtamentorum*, & *temporis* diverſi continetur.

§. 3. (6.) Inter Eccleſiam *veram* & *falſam*, quarum *iſta* ſic dicitur à *vera* Eſſentia, propriis, & notis, quibus prædita eſt, & nomen illud habere *meretur*; Hæc vero à *falſitate* contraria. (7.) Inter Eccleſiam *Catholicam* & *topicam*, quarum iſta ſic dicitur etiam à *locis*, in quibus degit, & ſparſa eſt, nempe *ubivis locorum* per orbem hujus univerſi; hoc vero à *certo* aliquo *loco*, in quo degit. Iſtam alias etiam *univerſalem*, hanc vero *particularem* appellant. vid. B. Dn. D. Carpzov. Iſag. ad Artic. VII. Aug. Conf. m. II. p. m. 303. §. una. (8.) Inter Eccleſiæ *eſſentiam & accidentia*. Quarum iſta complectitur etiam ipſius eſſentialia, ut ſic loquar, propria, nimirum ex eſſentia fluentia, & notas inſeparabiles, quæ ſunt verbum purum, ejuſque prædicatio & acceptio, & legitima ſacramentorum adminiſtratio, & perceptio; Hæc vero denotant varios ipſius *ſtatus externos*; Quo reſpectu diſtinguitur (9.) Inter Eccleſiam *viſibilem* & *inviſibilem*, diſtinctione etiam ab ipſis adverſariis agnita, quod noſter Menzerus docet ex Johanne à Daventria, qui dicat aliam Eccleſiam eſſe *abſconditam*, quam paulo poſt vocet *internam*; nos vocamus *inviſibilem*, quare & *viſibilem* aliquam & *manifeſtam* eſſe neceſſe eſt. Exeg. Aug. Conf. Artic. VII. pag. m. 198. §. Johannes. Hanc eſſe diſtinctionem Eccleſiæ ſecundum ſua *accidentia*, & diverſos *ſtatus* docuerunt noſtrates Meiſn. de Eccleſ. Sect. IV. c. 5. p. m. 358. Menzer. l. cit. p. 206. & agnoſcit in ipſis Henrici in anat. l. cit. p. 222.

§. 4. Non eſt autem eadem hujus diſtinctionis acceptio ſeu ſignificatio. Aliter enim Eccleſiam viſibilem dicunt Romano-Catholici, ut vocantur, aliter Evangelici. Iſtis Eccleſia

viſibilis

visibilis dicitur ab externo suo statu in quo versatur : quod sit *Monarchia externa suprema totius orbis terrarum , in qua oportet Romanum Pontificem habere potestatem* ἀνυπεύθυνον , &c. quomodo eam definiri dicit nostra Apol. Aug. Conf. p. m. 149. §. Sed. Confer D. Pap. in Comment. Aug. Conf. p. m. 120. fin. 127. fin. 132. fin. Brevius Meisnerus ex mente Pontificiorum ait : Ecclesiam *oportet semper esse conspicuam , ut est Respubl. Venetorum , vel Regnum Galliæ.* de Eccles. pag. 351. §. hic. vid. Bellarm. lib. III. de Eccles. cap. 2. 12. Greg. de Valent. tom. III. pag. 162. disput. I. pact. 7. cap. 150. & quos porro citat B. Dn. D. Dannh. Hodom. Pap. Phant. II. pag. 372. seq. Quæ nonnihil limitat & moderatur Henrici , scribens : *Nota II. nos non negare , quin Ecclesia in splendore & perspicuitate magis & minus illustris fieri possit , & propter Hæreticorum , aliorumque infidelium persecutiones , respectu status florentis , aliquo modo obscura esse. Sed hoc est quod dicimus , Ecclesiam nunquam ita absolutè invisibilem reddi , ut veram Christi doctrinam nunquam sensibiliter prædicet , & ejusdem sacramenta recte administret.* Anat. A. C. pag. m. 221. §. nota. II. de quibus ipsius verbis, cum aliorum hypothesibus collatis, nunc non disputabimus ; sufficit inde nosse, quod *visibilis* ideo sit Ecclesia, sensu Papæo , quia est *illustris* , quod tamen non necessarium est , si sufficit , ut Ecclesia visibilis sit, *doctrinam* sanam *visibiliter prædicari , & ejusdem sacramenta recte administrari*, quod Henrici dicit. Nam hoc quoque in locis subterraneis & *claussis foribus* Joh. XX, 19. 26. i. e. secreto, paucis conscii, potest fieri.

§. 5. Huc facit distinctio (10.) inter Ecclesiæ *materiam & formam* , quarum ista vocantur homines in Ecclesia DEI viventes , qui , quia sunt crassa corpora , utique videntur , vel videri possunt ; *Hæc* autem denotat *rationes* per quas Ecclesia est , & ab aliis hominibus , qui in Ecclesia non sunt , discernitur. Sic ex. gr. septem millia Israëlitarum, qui genua sua coram Baale non incurvaverant , videri quidem poterant, ut *homines* , sensibus obversantes , quibus Elias eos forte apprehenderat ; quod *vero* essent *membra sanioris Ecclesiæ* , id ipsum fugiebat. Nam *nullus ex tanta Israëlitarum multitudine videbatur ei esse relictus* , uti explicat Sanctius Comment. ad 1. Reg. XIX. sed putabat , se *solum*

lum esse relictum. 1. Reg. XIX. 10. Huc digitum intendit noster Pappus, quando scribit: *Hæc Ecclesia* (vera & sancta) *etsi alia ejus membra aliorum oculis in hac terra sunt* (nempe quoad corpora sua) *conspicua, tamen si & crucem, sub qua solet abscondi, & aliena corda, quæ soli DEO sunt cognita, consideraveris, recte & pie invisibilis esse dicitur.* Comment. in A. C. p. 127. Confer Dn. D. Dannh. hodom. Pap. phant. II. p. 525. 526.

§. 6. Hoc ipso alia distinctio nobis suppeditatur: nempe (11.) Inter *Externam* Ecclesiæ veræ speciem, & *Internam* ipsius essentiam, vel conditionem. *Externa* Ecclesiæ species, vel facies consistit in publica prædicatione verbi, & legitima administratione sacramentorum, his, veluti notis externis, & formalibus, illa in conspectum prodit, videtur, & palam conspicitur, quod maximè solet fieri cum status ipsius est tranquillus, & aliunde non impeditur; *Interna* autem ipsius conditio, secundum quam filia Regis *intus* glorioſa est, Psal. XLV, 14. consistit in vera fide, per quam DEO suo adhæresit, & ipsi *soli*, veluti καρδιογνώστῃ, cognita est, quo sensu Apostolus ait: 2. Tim. II, 19. firmum fundamentum DEI consistit habens sigillum hoc: ἔγνω novit Dominus *suos.* Eodem hoc sensu distinguit idem Apostolus Rom. II, 28. inter Judæum ἐν φανερῷ *in manifesto*, & ἐν πνεύματι *in spiritu*, qui est *in corde* talis, vers. 29. *Ut enim* (sic iterum noster D. Pappus) *non is, qui in manifesto sit Judæus, Judæus est; neque ea, quæ in manifesto sit, carnis circumcisio, circumcisio est, sed qui in occulto Judæus sit, is Judæus est, & circumcisio cordis circumcisio est, quæ spiritu constat, non litera, cujus laus non ex hominibus est, sed ex DEO; Ita etiam is Christianus non est, qui nudo titulo insignitur, multo minus ea Ecclesia est, quæ tiaratum Pontificem &c. habet, sed ea demum Ecclesia est, quæ gratuito DEI favore ab æterno electa, sub uno capite Christo, per verbum & sacramenta, in unitate fidei congregata, uno eodemque spiritu sanctificata, coalescit in templum sancti Domini.* Hæc ille. l. c.

§. 7. Hinc porro distinguimus (12.) inter statum Ecclesiæ extrinsecus *tranquillum* & *turbatum.* Iste est, cum Ecclesiæ licet uti verbo divino per publicam prædicationem, ut DEUS *ordinavit*, & *jussit* fieri, & de *jure* esse debet; Hic autem est,

cum perſecutionibus, vel calamitatibus premitur, & impeditur, quo minus facere poſſit, quod debet & vellet de *facto* ipſo. Talis ſtatus erat tempore Chriſti, & poſt. Dum Chriſtus adhuc in terris verſabatur, ipſi adhærebant ſui diſcipuli, & palam ipſe prædicabat *in* & *extra* templum, & ſuas conciones miraculis in conſpectu omnium confirmabat; cum autem captivus duceretur, cruci ſuffigeretur, in ſepulchro jaceret, adeoque ex oculis ſuorum eſſet ereptus, tum fugiebant illi, & diſpergebantur, veluti oves, paſtore percuſſo, Matth. XXVI, 31. 32. Sic in primitiva Eccleſia, cum ſua illa halcyonia haberet, verbum palam prædicari, & ſacramenta legitime in publico adminiſtrari curabat; cum vero perſecutiones, ut ſub Diocletiano, ſævirent, mulier alis aſſumptis in deſertum fugiebat, (Apocal. XII, 14.) præ Draconis petſecutionibus, i. e. Eccleſia fugit, & in ſpeluncis, & ſubterraneis locis delituit, ſecuta monitum Chriſti, Matth. X, 14. 23.

§. 8. Hactenus *definitum* ſeu ſubjectum diſtinximus. Breviter etiam quoad *definitionem*, & prædicatum diſtinguimus (13.) inter verbi divini *prædicationem*, eamque puram, ſicut & legitimam ſacramentorum *adminiſtrationem*, & prædicati, ſicut & adminiſtratorum, *receptionem*. Nam contingit, ut DEUS utrumque hominibus præſtari curet, atque ita gratiam offeratur, non omnes autem oblatam recipiant, aut retineant, quod DEUS reprehendit per Jeſaiam cap. LXV, 2. & Chriſtus *parabolis* declaravit de *multiplici* agro Matth. XIII, 20. 21. 22. 23. & invitatione ad nuptias, ab aliis ſpreta, ab aliis admiſſa, c. XXII, 1. ſeqq. Conf. Carpz. Iſag. ad Art. VII. A. C. p. 309 (4.)

§. 9. Cum qua diſtinctione congruit & connexa eſt alia, nempe (14.) inter *habitum* & *actum*. Habent verbum DEI & ſacramenta, quoad uſum nimirum & fructum ſuum ſaltem, qui in corde illud credunt, & retinent, etiamſi *actu ſecundo* illud non exerceant, vel manifeſtent. Sicut viceverſa verbum DEI pure docere, & ſacramenta legitime adminiſtrare dicuntur etiam illi, qui id officii habent, etiamſi non quovis momento & puncto temporis exerceant & exſequantur. Innuit diſtinctionem „D. Menz. Exeg. pag. 211, 212. ſcribens: Officium Eccleſiæ pro„prium eſt, docere Evangelium, & adminiſtrare ſacramenta, juxta

„juxta mandatum Christi, Matth. XXVIII. Marc. XVI. &c.
„quod officium, quando *actu* obit, recte vocatur *effectum*.

§. 10. Nolumus plures distinctiones addere, quandoquidem putemus, datas sufficere ad mentem articuli nostræ confessionis declarandam & vindicandam. Quare pergimus nunc ad *applicationem* dictarum distinctionum, eamque paucis quibusdam *assertionibus* includemus.

§. 11. I. Assertio est: *In Articulo VII. Aug. Conf. Vox Ecclesia sumitur propriè, non impropriè*; Nam dicitur Ecclesia *perpetuo mansura* esse, quod *frustra* diceretur, si *impropriè* diceretur. Neque enim, quod *impropriè* tale est, revera tale est. Nec Adversarii nostri intelligunt Ecclesiam *impropriè* sumptam, *perpetuo durare*; uti nec Ecclesia *impropriè* sumpta ea est, quæ constat ex *sanctis*, & *Evangelium rectè docet*, & *rectè administrat sacramenta*; quod dicimus in gratiam eorum, qui putant, vel tradunt, nos statuere aliquam *Utopicam* Ecclesiam, cum de *invisibili*, aut negant *eam* vel *ibi* esse veram Ecclesiam, ubi verbum DEI rectè docetur, & sacramenta rectè administrantur, qualem notavit noster Menzerus, qui asseruerat, *contingere posse, ut pure alicubi doceatur Evangelium, riteque administrentur sacramenta, ubi mox etiam non sit sanctorum congregatio*, i. e. Ecclesia propriè sic dicta. Exeges. pag. 199. §. tum. Vid. & Bellarm. lib. IV. de not. Eccles. cap. 2. qui & ipse negat, statim esse Ecclesiam veram, in qua doctrina ab omni errore pura est. Contra vide Luther. Tom. VII. Jen. G. f. m. 180. a. Hülf. Anti-Hag. d. VI. pag. 234.

§. 12. II. *Eadem vox sumitur non largè, sed strictè, non ut notet* Σύνολον ἑτερογενὲς, *sed* ὁμογενές. Neque enim simul connotantur *mali*, quando vocatur *una*, & *sancta*, & congregatio *sanctorum*, cum mali non sint *viva* membra *unius* ejusdemque corporis, aut *sancti*, sive intelligas sanctitatem *Christi meritoriam*, quam vera fide illi non apprehendunt, ut sibi applicent, sive sanctitatem virtutum *homini inhærentem*; neque enim *mala arbor* potest *bonos fructus ferre*. Matth. VII, 16. Quo sensu sumitur 1. Cor. VI, 11. Quare nec *largè* vox h l. potest accipi. *Ecclesia non est tantum societas externarum rerum & rituum, sicut aliæ politiæ, sed principaliter est societas fidei, & spi-*

ritus sancti, in cordibus, quæ tamen habet externas notas, ut agnosci possit, videlicet puram Evangelii doctrinam, & administrationem sacramentorum consentaneam Evangelio Christi. Et hæc Ecclesia sola dicitur corpus Christi, quod Christus spiritu suo renovat, sanctificat & gubernat, ut testatur Paulus Ephes. I. (21.22) *cum ait, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, videlicet integritas, id est, tota congregatio ipsius, qui omnia in omnibus perficit. Quare illi, in quibus nihil agit Christus, non sunt membra Christi. Idque fatentur adversarii, malos esse mortua membra Ecclesiæ. Quare miramur, cur reprehenderint nostram descriptionem, quæ de vivis membris loquitur.* Ita nostra Apolog. pag. m. 145. Idque confirmatur Articulo sequente VIII. Nam ita sonat: *Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum, & vere credentium* (q. d. sicut modo Artic. VII. docuimus,) *tamen cum in hac vita multi hypocritæ, & mali admixti sint &c.* Neque probatur à nostris, quod Melanchthon in variata sua Confessione hosce duos Articulos confuderit, addendo verbis Articuli VII, hæc: *Etsi in vita huic congregationi multi mali, & hypocritæ sunt admixti, usque ad novissimum diem:* quæ additio legitur in Harmonia Confessionum Edit. Genev. Anno M. D. LXXXI. Ipsa Apologia jam habet: *Nos ob hanc ipsam caussam adjecimus octavum Articulum, ne quis existimaret, nos separare malos & hypocritas ab externa societate Ecclesiæ &c.* p. 144.

§. 13. III. *Vox Ecclesiæ sumitur h. l. in sensu composito, non diviso.* Sequitur ex prioribus. Nam *quatenus* audit vocem Domini & sponsi sui, eamque sequitur, eatenus est *sancta*, & particeps omnium beneficiorum & privilegiorum divinorum. Unde sequitur, quod Ecclesiam statuamus h. l. sumi non *materialiter* pro ipsis solum hominibus, sed *formaliter* pro hominibus Evangelium vera fide apprehendentibus, & sacramenta legitimè usurpantibus. Apparet ex reipsa. Si enim Ecclesia h. l. consideratur ut *sancta*, & est congregatio *sanctorum*, in qua *Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur sacramenta*, & inter quos est *consensus de doctrina Evangelii, & administratione sacramentorum*; ut habent ipsa verba Confessionis, igitur qui ejus *genuina* & *homogenea* membra sumuntur, h. l. *formaliter*,

ter, pro hominibus sanctis & piis. Insuper patet, quod Confessioni sermo sit de Ecclesia *vera*, sic dicta à *veris* suis *membris*, non autem de *falsa*; qualis est heterodoxorum, qui à veritate verbi divini aberrant. De Ecclesia ut consideratur secundum suam *essentiam* & essentialia attributa, non autem secundum sua *accidentia* externa, sive bona, sive mala: quippe quorum in definitione, vel descriptione Ecclesiæ nulla fit mentio, & merito. Nam possunt abesse, vel adesse sine subjecti interitu.

§. 14. IV. *Vox Ecclesia in prioribus verbis sumitur pro Ecclesia Catholica, non topica.* Quod enim Ecclesia dicitur *perpetuo mansura esse*, id verum est non de *quavis* Ecclesia, ut non est verum de *topica*, vel *topicis*, quippe aliquando de orbe, vel locis suis movendis, imò motis, & abolitis: Id quod ipsi adversarii fatentur, & Christus *minatur* Ecclesiæ Ephesinæ Episcopo, Apocal. II, 5. Et experientia plurium Ecclesiarum particularum testatur: Sed de *Catholica*, quæ per totum terrarum orbem sparsa est. Nunquam ita interit illa Ecclesia, ut nullibi locorum *quisquam*, vel *ulli* sint, qui vera fide sint præditi, eamque bonis operibus exerceant. *Hoc notandum*, ait Carpzovius, *non de particulari, sed universali Ecclesia hoc prædicari, ut nulla particularis Ecclesia de se prædicare possit, quod sit una illa Ecclesia. Aliud enim est esse unam Ecclesiam, aliud esse de una Ecclesia. Tota Ecclesia est una, nostra Ecclesia est de una.* Sic ille Isagog. p. m. 303. § una.

§. 15. V. *Vox Ecclesia in verbis sequentibus sumitur de Ecclesia vera visibili, ut est in debito suo, & tranquillo, & ordinario, divinitus ordinato, & probato statu.* Dicimus hoc propter ista verba: *In qua Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur sacramenta.* Hoc sensu nostros recipere probatur (1.) *expressis verbis ipsorum.* Menzerus scribit: *Ecclesia visibilis (de qua Articulo sequente plura dicenda erunt) dicitur propter prædicationem verbi, & sacramentorum administrationem, quæ in oculos & aures incurrunt, sicut & alia quædam externa Ecclesiæ officia, adeoque ipse cœtus hominum congregatorum omnino cernitur*, Exeges. pag. 206. 207. Expressius & clarius Meisnerus: *Augustana Confessio definit Ecclesiam visibilem, cujus etiam signa constituit externa.* de Eccles. Sect. *IV.* cap. 5. pag. 609.

Nec fugit hoc Th. Henrici ; Nam in Anatome ſua ſcribit : *Confeſſioniſtæ excipiunt : Eccleſiam viſibilem à Confeſſione definiri, non autem Eccleſiam Catholicam , quam inviſibilem fingunt.* ad Artic. VIII. Aug. Conf. pag. 222. §. quod. Non *fingimus*, ſed dicimus, quod res eſt ; Interea acceptamus, quod refert,& fatetur,noſtros loqui de Eccleſia *viſibili.* Suppeditant autem illi nobis (2) *argumentum* evidens , quod Confeſſio h. l. loquatur de Eccleſia *viſibili* , nempe ſumptum à *notis* Eccleſiæ , quæ ſunt *recta prædicatio verbi , & recta adminiſtratio ſacramentorum.* Notas enim damus eo fine, ut rem aliquam *noſſe* poſſimus, adeoque rei *viſibilis* vel *cognoſcibilis : Significantur hiſce verbis notæ eſſentiales & adæquatæ Eccleſiæ , pura ſcilicet prædicatio , & adminiſtratio ſacramentorum , quæ non tantum cœtum hunc conſtituunt , ſed etiam oſtendunt cum ipſis membris vivis ac genuinis ; cœtum quidem definitè , membra vero generaliter & indefinitè.* Sic Carpzov. Iſag. ad Aug. Conf. pag. 308. §. Evangelium. Atque hic eſt ille ipſe Eccleſiæ ſtatus *ordinarius* , in quo *verbum* divinum ipſam collocat , quippe quod *vult* in Eccleſia DEI verbum palam prædicari, & ſacramenta ritè adminiſtrari. Matth. X, 27. XXVIII, 19. Luc. XXII, 19.

§. 16. Ex dictis paret I. *Quod Aug. Conf. in hoc Articulo neque ſibi ipſa contradicat , neque ſuis Evangelicis.* Contradictio legitima & genuina definitur ab Ariſtotele , quod ſit κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀντικείμεναι τὲ αὐτὲ , καὶ αὐτὲ , μὴ ὁμωνύμως : *Affirmatio & negatio ſibi invicem oppoſita ejuſdem, qua ejusdem ſine ambiguitate.* lib. I. περ. ἑρμην. c. 6. Jam vero Confeſſio in noſtro Articulo vocabulum Eccleſia , non ſumit uno eodemque ſenſu , uti oſtenſum. Nam primum ſumit pro Eccleſia *Catholica*, quæ abſtrahit ab *accidentibus* ſuis , viſibilitate , & inviſibilitate ; deinde vero ſumit pro Eccleſia *viſibili* , quæ per prædicationem verbi, & adminiſtrationem ſacramentorum poteſt cognoſci , veluti ex notis notatum : Unde patet , quod diverſa ſit vocis acceptio, & ita nulla contradictio. Sed nec eſt inter ipſam & Evangelicos. Nam utrumque dicunt Evangelici , iſtud , quod Eccleſia *Catholica* ſit perpetuo manſura, idque confitentur in Symbolo Apoſtolico , dicentes : *Credo* (nempe ſemper futuram) *Eccleſiam* : Hoc, quia aſſerunt , Eccleſiam *viſibilem* dici & fieri

per

per prædicationem verbi, & administrationem sacramentorum, & quæ ita videtur, esse *veram* Ecclesiam, quandoquidem verbum DEI non redeat vacuum, ubi rectè prædicatum fuit, quin fructificet, saltem in aliquibus. Attestetur Bellarminus lib. III. de Eccles. cap. 10. dicens: *Lutherani visibilia quædam, & externa signa statuunt, nimirum prædicationem verbi* DEI, *& sacramentorum administrationem, & constanter docent, ubicunque hæc signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam.* Jes. LV, 10. 11. Egregiè Lutherus noster ad Joh. XVI. fol. 179. & 180. Tom. VII. Jen. German. docet: **Daß** (si Ecclesia vera & falsa inter sese dignoscendæ sunt) **man darnach sehe/ wo die Lehr deß Evangelii vom Glauben an Christum/ ohne Zusatz und Neben-Lehre/ recht gehet/ mit seinen Früchten und rechten guten Wercken/ nach demselben Wort/ und dargegen sehe/ wo das Widerspiel gehet/ daß man allein mit dem Munde das Evangelium und Glauben nennet/ und doch darwider ander Ding einwirfft/ damit der Glaub und Christus verleugnet wird/ und eygen erdichte Wercke mit falschem Vertrawen/ beyde/ über den Glauben/ und rechte gute Wercke gesetzt werden/ welches sich auch beweiset mit der Frucht/ daß man solches wider die rechte Lehr und Glauben/ mit bannen und morden vertheidingen will. &c.**

§. 17. Sed nec inter Articulum nostrum, & Confessores Augustanæ Confessionis est aliquis dissensus. Docent & credunt Confessores, quod Ecclesia possit fieri *invisibilis*, adeoque verbum *aliquando* palam & rectè non prædicari, & sacramenta rectè non administrari; quod solet fieri tempore calamitatum & persecutionis. Scripsit Meisnerus, *visibilitatem convenire 1. Non Ecclesiæ universali, qua tali, sed tantum particularibus. 2. Non semper, sed tantum in florenti statu; Quando illæ non premuntur nimium, nec suis pastoribus & templis spoliantur. Hoc enim si contingit, tum ex visibili statim fit invisibilis Ecclesia.* d. Eccles. pag. 386. Concedunt igitur, quod Ecclesia *vera* aliquando sit *visibilis*, quod fiat in *florenti* statu, per *publicam* & *rectam* prædicationem verbi, & administrationem sacramentorum, quod quidem per *accidens* fit in Ecclesia; sed in *visibili* quatenus talis est, per se. Hoc enim est de ejus, qua

visibi-

visibilis, forma, sicut est *accidentale* Ecclesiæ, qua *Ecclesiæ*, seu *Catholicæ*. Ubi hic contradictio: Ecclesia *Catholica* semper mansura est; Ecclesia *visibilis* non semper futura est? ubi autem est *visibilis*, ibi habet & *notas* suas, ex quibus *videri* & *agnosci* potest.

§. 18. Atque hæc jam est Rhodus illa ubi saltandum! Videamus saltus unius, ex quibus reliquos judicemus. Thomas Henrici ex professo hoc agit, & vult suam sententiam, quod Ecclesia in N. Test. perpetuo visibilis sit, probare ex nostra etiam Confessione, & ejus Articulo VII. ut supra in Præfatione vidimus. Audiamus quomodo.

§. 19. Ait: *Quod Confessionistæ excipiunt: Ecclesiam visibilem à Confessione definiri, non autem Ecclesiam Catholicam, quam invisibilem fingunt, Confessioni manifeste repugnat.* Qui sic? Respondet: quia *definit illam Ecclesiam, quæ perpetuo mansura* est. Sic est. Nam definit Ecclesiam *Catholicam*, & quidem in illis verbis: *Est congregatio sanctorum.* Sed pergit: *in ejus definitione doctrinam Evangelii, & sacramentorum administrationem ponit.* Ita est; sed *qualem* putat Ecclesiam? *Catholicam?* Non. Id quidem dicunt Pontificii, quia volunt Ecclesiam perpetuo *visibilem* esse, quod ipsum vero in controversia est: Nostrates autem negant. Loquuntur vero ipsi de Ecclesia *visibili*; nempe Ecclesia illa, quæ *Catholica* est, & membra, seu Ecclesias particulares, habet, suo quodam modo & ipsas Catholicas. Nam fit illa in illis *visibilis* per prædicationem verbi, & administrationem sacramentorum, & inde cognoscitur, tanquam ex *notis* infallibilibus. *Atqui*, porrò addit: *Ecclesia, quæ perpetuo mansura est, ex mente Confessionistarum, est Ecclesia Catholica, non particularis, qualem volunt esse omnem Ecclesiam visibilem, omnem eam talem deficere posse, & de facto per multa secula ante Lutherum totam Ecclesiam visibilem defeciisse contendunt!* Rectè hæc omnia, quid inde? *Ergo*, infert, *secundum verba Confessionis Ecclesia Catholica à doctrina Evangelii, & sacramentorum administratione, & consequenter à visibilitate separari non potest.* Male infertur à definitione Ecclesiæ *Catholicæ*, quæ est *congregatio sanctorum*, ad definitionem Ecclesiæ Catholicæ veræ *visibilis*, nempe in suis membris: Aliud est definire Ecclesiam,

qua

qua est Catholica; aliud *quatenus* est Catholica, vel visibilis & per *notas* suas cognoscibilis. Repetimus verba Meisneri: *Augustana Confessio definit Ecclesiam visibilem, cujus etiam signa constituit externa, non autem indicat, quod Ecclesia semper sit visibilis quædam congregatio*, & addimus sequentia ejus: *quam illam privari posse publico exercitio, ut cogatur delitescere, Protestantes sæpè docuerint. Quando autem dicit, quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit, de re loquitur, non de modo, indicatque Ecclesiam semper manere, non autem, quod semper maneat visibilis.* De Eccles. pag. 609. Sicut N. C. DEUS, qui creavit cœlum & terram, est ab æterno. E. & qua creator cœli & terræ est ab æterno, seu; Filius DEI, qui est natus ex Maria Virgine, erat antequam Abraham esset. Joh. VIII, 58. Ergo etiam ex Maria Virgine fuit antequam Abraham esset. Ita N. C. Ecclesia, quæ est Catholica, *qua* est visibilis, prædicat verbum DEI, & administrat sacramenta. Ergo *quatenus* est *Catholica* prædicat verbum DEI, & administrat sactamenta, & est visibilis.

§. 20. *Probatur major*! Ipse sese offerens dicit Henrici; Sed prius exprimere debuisset, quæ major esset, vel ab ipso putaretur: Nullum enim fecit *formale* & *clarum* argumentum, ut de ejus majore constare posset. Forsan hoc: Ecclesia Catholica semper est mansura; Ecclesia visibilis est Ecclesia Catholica. E. Sed ita major non esset probanda; quod Henrici tentavit; Nam ea est ipsius nostri Articuli; Sed *minor*; Aut ita: Omnis cœtus perpetuo habens prædicationem verbi rectam, & rectam sacramentorum administrationem, est perpetuo visibilis; atqui Ecclesia ab Aug. Conf. definita est cœtus perpetuo &c. Ita enim habet ejus definitio. E. Ecclesia semper est visibilis. Sed nec in hoc argumento major est *probanda*; Nam & ipsam concedunt protestantes; Verum iterum minor. Dicit quidem Aug. C. quod Eecleſia sit congregatio sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur sacramenta; sed quod *perpetuo* illud fiat; hoc non dicit.

§. 21. Sit autem sive major; sive minor, *unde* probatur? dicit, *ex textu Germanico*, & verba ejus in Latinum

translata exhibet. Sed verba Germanica supra mox ab initio posuimus, quare *versione* nunc non indigemus. Inde infert: *Cum ergo omnis definitio definito suo semper convenire debeat, sequitur* Ecclesiæ, *ex mente Confessionis, quamdiu ipsa manet, id est, perpetuo convenire puram* Evangelii prædicationem, *& sacramentorum administrationem, & consequenter ipsam perpetuo visibilem manere.* Respond. Aliud est definitio *Ecclesiæ*, aliud definitio Ecclesiæ *visibilis*; Ecclesiæ *visibili*, quâ tali, semper convenit sua definitio; Sed negamus, Ecclesiam *semper* esse visibilem; *Quamdiu manet Ecclesia visibilis*, tamdiu illa ipsi definitio competit; si vero desinit esse *visibilis*, (ut interdum desinit) tum desinit etiam illa ipsius definitio.

§. 22. Videamus autem, an ex *variata* Confessione illud probare possit. Quam quidem recipere non teneremur, eo ipso, quia est *variata*, & auctoritate quidem, vel usu potius privato; sed ultro admittamus; quæ sunt igitur ipsius verba? Henrici hæc recenset: *Habet autem Ecclesia, propriè dicta, signa sua, scilicet puram & sanam Evangelii doctrinam, & rectum usum sacramentorum.* Ad hæc verba jugulant potius casuam Henrici. Nam expresse habent *signa*; Signa autem sunt *signati*, quod est *visibile*, quare de *visibili* Ecclesia loquitur confessio etiam variata. Secus videtur Henrici: *Ecclesia enim*, dicenti, *propriè dicta est Ecclesia Catholica*; sic est, sed non *sola*. Nam & Ecclesia vera *visibilis* est Ecclesia *propriè* sic dicta; maxime ex mente adversariorum, qui contendunt, Ecclesiam veram esse *semper* visibilem. Quare male infertur, saltem ex mente nostra, *Ergo Ecclesia Catholica, non tantum particulari, semper conveniunt ista signa*; Negamus enim Ecclesiæ *Catholicæ* competere ista signa, quippe quæ *universalis est*, & per totum orbem dispersa, etiam ibi ubi non *videtur*; Competunt igitur isthæc *signa* Ecclesiis *particularibus*, hinc inde per orbem dispersis. Et consequenter non *Catholica* Ecclesia, sed *topica*, per *signa* sua sensibilia, sensibilis sive visibilis est; Quamvis *non semper visibilis maneat*, quamdiu *Ecclesia* manet. Sicut non semper manet homo sanus, etiamsi homo maneat. Accidens enim est & potest separari à suo subjecto, ipso licet salvo.

§. 22,

§. 23. Cum igitur Th. Henrici nihil juvet etiam *variata* confessio, age videamus, an Art. VIII. Aug. Conf. juvet. Nam allegat eum, *ubi dicitur, in Ecclesia, quamvis ipsa propriè sit congregatio sanctorum, secundum societatem signorum externorum, scilicet professionis ejusdem fidei, & participationis sacramentorum, contineri malos*; At hæc verba manifeste loquuntur de Ecclesia *visibili*; Nam in ea est *societas signorum externorum*, quæ sunt *professio ejusdem fidei; & participatio sacramentorum.* Nec dicit, malos *contineri* in ea, sed *admixtos* esse, nempe ut paleæ tritico admixtæ sunt: Esto, *non tantum ad tempus*, sed *perpetuum* illud sit. Quid inde? *atqui*, infert, *Congregatio mixta bonis & malis, eandem doctrinam profitentibus, est congregatio visibilis*; Ergo, *si Ecclesia usque ad novissimum judicium talis congregatio futura est, perpetuo visibilis futura est.* Male hoc infertur. Neque enim dicit confessio, quod mali & hypocritæ sint perpetuo admisti bonis, *secundum societatem signorum externorum, scilicet professionis ejusdem fidei, & participationis sacramentorum*; sed Ecclesiæ, quæ *proprie est congregatio sanctorum & recte credentium*; Talis verò est *invisibilis hominibus.* (Nam de DEO non est quæstio) non visibilis. Nam Sanctos & recte credentes nemo, nisi DEUS, qui καρδιογνώστης est, videt & cognoscit. Ecclesia comparatur areæ, agro, & sagenæ, non qua est *visibilis vel invisibilis*, sed qua *boni & mali* sub ejus nomine continentur.

§. 24. En! nec Articulus VIII. suppetias præstare potest. Quare audiamus, an *Apologia* Confessionis, quam advocat, illud possit. Adducit autem hæc ipsius verba: *Neque vero somniamus nos Platonicam civitatem, ut quidam impiè cavillantur, sed dicimus existere hanc Ecclesiam, videlicet verè credentes, & justos sparsos per totum orbem, & addimus notas, puram doctrinam Evangelii & sacramenta, &c.* Ex his verbis texit argumentum: *Si fundamentum Ecclesiæ, sparsæ per totum orbem, est doctrina Evangelii & sacramentorum usus, sine his utique consistere non potest Ecclesia, nisi forte domus sine fundamento stare potest; Sed per doctrinam Evangelii, & sacramentorum Usum redditur Ecclesia visibilis, Ergo sine visibilitate con-*

sistere non potest, &c. Sic ille argumentatur, sed solito more, i. e. vitioso, dum confundit Ecclesiam *Catholicam*, quæ per totum orbem sparsa est, cum *visibili*, quæ non per totum orbem sparsa est, suas autem *notas* habet, ex quibus videtur & cognoscitur, & sine quibus non potest, ut *visibilis* est, consistere & agnosci.

§. 25. Repetit autem Protonotarius Apostolicus *cavillum*, quod Apologia *impium* vocat, dicendo: *Si quæ fingitur Ecclesia invisibilis, verè Platonica sive Utopica civitas est, nisi in phantasia somniantium Confessionistarum consistens.* Sed nullam *fingimus* Ecclesiam invisibilem, id enim *phantasia* esset somniantium, sed *probamus* ex *scriptura* ipsa, quæ nobis laudat 7000. occultorum fidelium, Eliæ invisibilium; 1. Reg. XIX, 18. Et ex *natura* veræ fidei & virtutis, quæ in corde sunt, oculis hominum abscondita; Adversus *Ecclesiam* non valent portæ Inferorum, Matth. XVI. 18. At valent contra quamvis Ecclesiam *visibilem*; quare necesse est, præter *visibilem* esse etiam aliquam *invisibilem*. *Credimus* Ecclesiam; at non credimus nisi *invisibilia*. Hebr. XI, 1. E. oportet aliquo, saltem modo, Ecclesiam esse *invisibilem*, nempe *formaliter*.

§. 26. *Neque figmentum* probabunt argumenta Henriciana: Argumentatur (1.) Fidem esse ex auditu verbi prædicati, Rom. X, 17. (2.) Ecclesiam *invisibilem* non posse audiri, quod tamen Christus jubeat, Matth. XVIII, 17. (3.) Ecclesiam esse domum DEI, prædicatione Evangelii perpetuo ædificandam. Ephes. IV, 11. seqq. (4.) In Symbolo Apostolico credi *communionem* sanctorum, quæ *sine communione externa in eadem fidei doctrina, & usu sacramentorum esse non possit.* Juxta Artic. V. Aug. Conf. &c.

§. 27. At (1.) negatur, quod *ubi est nulla vera prædicatio Evangelii, ibi nulla possit esse vera fides.* Nam etiam ex *lectione* verbi divini vera fides potest concipi, quæ lectio etiam sub auditu comprehenditur, ut colligere est ex Luc. XVI, 29. Ubi fratres divitis epulonis jubentur *audire* Mosen & Prophetas, quod vero fieri non poterat *audiendo*, strictè sic dicto, sed *legendo* ipsorum scripta. Augustinus refert exemplum Victorini, Rheto-

Rhetoris Gentilis, qui sola lectione scripturæ fuerit auspicatus Christianismum, lib. VIII. Conf. c. 2. vid. D. Dannhavv. Hodos. II. edit. phæn. 1. pag. 97. Ad (2.) Christus non dixit, Ecclesiam, *ut sic*, perpetuo esse audiendam, sed innuit Ecclesiam, si sit *visibilis*, esse audiendam; Nam vult offensum id *dicere* Ecclesiæ, & hanc *audiri* posse & debere; & quidem in quæstionibus facti, quæ versantur intet *fratres*, & concernunt *meum* & *tuum*, quale quid fit in rebus *politicis* & *œconomicis*: Ab his vero velle argumentari ad quæstiones *Theologicas*, & res *fidei*, ubi quæritur de *vero* & *falso*, secundum judicium DEI æstimandis & judicandis, hoc vero inter sese nexum nullum & consequentiam habet. Deut. XVI, 18. DEUS jubet constitui *Judices*, qui in populo Israël adeundi, & exaudiendi; Idem tamen comminatur Jes. III, 2. sese *judices* ablaturum, & populum undecunque Judices, vel Magistratus quæsiturum & petiturum esse; Si quis tum *Ecclesiam* judicem adire voluisset, ubi inveniisset? Idem comminatus est DEUS, Ose. III, 4. & comminatio illa ipsius nimis, quam certo, impleta est in Judæis, hodie adhuc sub peregrino magistratu viventibus. Nec possibile tum erat, cum Christus hæc diceret; Nec enim adhuc erat Ecclesia vera *Christiana* visibilis à *Judaica*, saltem quoad regimen externum, separata, qui igitur eo sensu, quo adversarii contendunt, verba Christi acciperet? Confer D. Dannh. Hodom. Pap. Phant. *II.* p. 528.

§. 28. Ad (3.) Non est quæstio, an Ecclesia *debeat* perpetuo etiam visibili ministerio ædificari? Hoc enim est quod ipsi dicimus, ex Ephes. IV, 11. *Quis nostrum negat, Ecclesiam semper debere esse visibilem?* Intertogat D. Dannhavv. Hodom. Pap. Phant. II. pag. 529. Sed: an de *facto* semper ædificetur, & ædificantes, eorumque Ecclesia semper sint *visibiles?*. Ubi *prædicatio Evangelii deficit, & consequenter, ubi nullus est cœtus visibilis docentium & audientium Evangelium, ibi nulla est Ecclesia* in eo statu in quo esse *deberet*, saltem per divinam ordinationem & voluntatem. Ea vero culpa neque est Ecclesiæ, sed persecutorum & obstaculorum, neque multo minus *DEI*, cui isti persecutores & obstacula displicent, sed *Diaboli*, qui

Ecclesiam indesinenter impedit & exagitat : per hunc & *cooperatores* impios stat, quo minus opus Ministerii, quod DEUS vult, & Ecclesia exoptat, in Ecclesia duret usque ad finem seculi. Innuit aliquid ejus Christus, cum inquit, si filius hominis venturus est aliquando ad judicium, putas ne, quod fidem inventurus sit in terra ? Nam inveniret : si publicum ministerium in ea supereſſet, quippe sub quo semper aliqui fideles, & pii inveniuntur, saltem à DEO. Jesai. cap. LV. vers. 10. 11.

§. 29. Ad (4.) Nego, quod *communio* sanctorum *interna* non possit esse *sine communione externa in eadem fidei doctrina, & usu sacramentorum.* Quia sancti esse possunt, in corpore Christi mystico, membra viva, quibus tamen *exercitium publicum* denegatum est, ita ut *nullam*, saltem *apertam* & *manifestam*, fidei *doctrinam*, vel exercitium sive *usum* sacramentorum habeant ; Imò se ipsi facietenus non nosse possunt, qui tamen internè per fidem & charitatem communicant. Per verbum quidem & sacramenta unio, & communio interna perficitur, non tamen viceversa, ubi est unio interna, ibi *necessario* externa præcedit & perficitur : Etiam ex colloquiis privatis & lectione verbi divini accendi potest fides, & ex fide nasci charitas mutua, atque ita mutuo animi conjungi, & Christo cohærere possunt.

§. 30. Ex dictis patet, (1.) quod Articulus VII. Aug. Conf. neque secum ipse, neque cum reliqua Evangelicorum sententia pugnet. (2.) Quod ipsius sententia in scriptura sacra, & orthodoxis Theologis sit fundata, & contineatur. (3.) Quod adversarii, si quid adversus ipsum velint obtinere, alia, quam hactenus, argumenta, & meliora quidem, debeant adferre ; quandoquidem hactenus allata ejus roboris non sint, ut aliquid obtineant. Faxit autem DEUS, ut Ecclesia Evangelica perpetuo gaudeat recta Evangelii doctrina, & sacramentorum legitima administratione!

AMEN!

Eximio

Eximio atque Præstantißimo Dn. Respondenti,
Amico suo:

SI, quæ *sit* nostras Eccleſia vera? requiris,
Dicimus: Eſt cœtus, quem ligat alma fides.
Si, quæ *ſigna*, rogas, ejus ſint? dicimus, eſſe
Verbum, quod patulo cœtus is ore docet;
Et, verbo conjuncta ſuo, duo ſacra ſigilla,
Sacramenta, quibus publicus uſus adeſt.
Uſus *aquæ* tollit loti delicta, reatum
Mortis, ne loto pœna nocere queat;
In *Cœna* corpus Chriſti cum pane fit unum,
Sicut cum vino potio ſanguis erit.
Hæc eſt *Auguſtæ* quondam confeſſio facta,
Quam Te, *mi Gnili*, noſtra Cathedra docet.

Gratulabundus accinuit

Exercitii Præſes.

Præcellenti Dn. M. Disputanti,
Amico dilectißimo,

QUod Socrates juveni dixit; *Loquere ut videam te*:
GNILI, ſuggeſtu de cathedrâque facis.
Apprecor, ut Cœtus Te habeat videatque *loquentem*
In ſeros annos Numinis *eloquia*.

Bono omine ſcr.
Baltaſar Fridericus Saltzmann/
SS. Theol. D. & Eccleſiaſtes.

Ergo

ERgo ſacris armis ſacro pro milite pugnas,
Quæque ſuo portet ſub Duce ſigna doces.
O opus egregium! non iſtud de grege miles,
Sed ductor qui vult ordinis eſſe, poteſt:
Qui ſciat hortatu turmæ exemploque præire,
Detegat inſidias & bene caſtra locet.
Hæc dum orbi monſtras decora, ad majoraque tendis,
Perge ſacræ felix ſub Duce militiæ.
Sic te pugnantem claro exceptumque triumpho
Ornabunt ſertis terra polusque ſuis.

Votum

M. Joh. Caſp. Khunij, P. L.

VIſibilem ponit ſplendorem Eccleſia CHRISTI,
Si cum doctrina publica ſacra jacent:
Eſt manſura tamen: nam fruſtra eſt iſta ſequela,
Nulla fuit, quoniam ſplendida nulla fuit.
Hæc vero docte dum jam defendis, Amice,
Splendor TE inſignis viſibilisque manet.

Clariſſimo DN. M. Diſputanti, Amico multum dilecto, benevolentiæ & gratulationis ergo appoſuit

M. Bernhardus Wagner/
Coll. Wilh. Pædag.

GNili *Guiliades* Majorum nominis hæres
Diceris Aonii portio clara chori.
Sic *Schalleriadi* nomen quod gloria famæ
Præſagit late ſit ſonitura Tuæ.
Et *Schillingiadem* Te præmia digna coronant,
Qui fructus tanti jure laboris habes.
At, cœtum Chriſti deſcribens cuncta capeſſis,
Doctrinam, famam, præmia *Chriſtiades.*

Clariſſ. Dn. M. Reſpondenti, Commenſali & Agnato honoratiſſ. de erudito de ſpecimine Theologico ex officio amicitiæ ſic gratulatur

M. Joh. Fridericus Geiger.

FINIS.